



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium I. An ignorantia excuset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

III. Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex^{ce} peccatum iniustitiæ committitur, unum contra^{ce} propriam uxorem, alterum contra maritum adul^{ce} teræ: uti etiam, si quis uno actu occidat plures, sunt^{ce} plura homicidia: quia in istis materia est numero^{ce} diversa. *Lay. l. 1. t. 2. c. 10. n. 3. Sanch. Lugo, l. c.* “

CAPUT IV.

Quæ excusent à transgressione Præcepti.

DUBIUM I.

699

An ignorantia excuset.



Resp. Si fit invincibilis, excusat; quia nemo^{ce} peccat, nisi actu voluntario; hic autem^{ce} cognitionem præsupponit. Si autem sit^{ce} vincibilis & culpabilis, non excusat; qua^{ce} lis est, cum poteras, & tenebaris scire, aut discere, & in mentem veniebat dubitare, nec studuisti intel^{ce} ligere. *S. Aug. S. Thom. Sanch. 1. mor. cap. 16. & ca^{ce} teri communiter contra Palauin. Unde resolvitur: “*

I. Si quis die jejunii nihil cogitans de præcepto,^{ce} cœnet, aut carnes comedat, non peccat: similiter in^{ce} aliis; ut si occidas hominem, putans esse feram.^{ce} *Bon. to. 2. d. 2. q. 8. p. 3.* “

II. Si in aliqua re tantum advertas malitiam^{ce} unius generis, illam solam contrahis, ut v. g. si quis^{ce} cognoscat fœminam, quam scit non esse suam,^{ce} ignorat autem esse consanguineam, is fornicatio^{ce} nem tantum, vel adulterium committit, non in^{ce} cestum. *Laym. l. 1. t. 2. c. 4. Bon. l. c.* “

A D D E N D A.

Q. 116. *Quid sit, & quotuplex ignorantia. R.* 700
 §. I. Ignorantia, in genere, à S. Dionys.
 & S.

& *S. Th.* 1. 2. q. 76. a. 2. definitur, privatio scientiæ eorum, quæ quis aptus natus est scire.

701 §. II. Ignorantia variè dividitur, nam I. alia est puræ privationis, quæ est mera carentia scientiæ; alia malæ dispositionis, quæ simul includit positivum errorem: 2. Alia vincibilis, quando quis potest scire; alia invincibilis, quando quis scire non potest, uti magis explicabitur à n. 748., tum autem simpliciter est vincibilis, si quis scire possit per ordinariam gratiam Dei, licet fortè non possit per vires solius naturæ, uti rectè *Eliz.* 1. 7. q. II. §. 4., gratia enim ordinaria non negatur nobis, saltem si faciamus, quod in nobis est. 3. Alia culpabilis, quando quis potest & debet scire, ac negligit, hinc ab aliis dicitur consequens, quia consequitur ad aliquem actum voluntatis; alia inculpabilis, quando quis vel non potest vel non tenetur scire, tum enim non est imputabilis, quia eam habemus antecedenter ad actum voluntati nostræ imputabilem. 4. Hæc ignorantia consequens alia est affectata, quæ directè est volita & quæ sita, uti habet *S. Th.* q. 6. a. 8., exempli gratiâ, si è templo emaneas, ne audias promulgari jejunium: alia simplex, quam quis directè non quærit, attamen habet, quia negligit inquirere, ut sciat, & ideo est indirectè tantùm voluntaria, potestque esse supina & crassa, si negligentia inquirendi fuerit magna. Videri potest *Teril.* de consc. prob. q. 16., ubi n. 5. refert hæc verba *Hugonis Cardin.*, simplex dicitur ignorantia, quando homo non laborat scire, quod possit scire: affectata dicitur, quando aliquis ex industria omittit scire, ne scientia in eo aggravet peccatum, ne magis teneatur ad non peccandum &c. hinc affectata videtur habere contemptum scientiæ; simplex autem, solummodo neglectum veritatis. 5. Ratione objecti, alia dicitur ignorantia Juris, quæ

quæ est circa leges vel obligationem legum, soletque etiam dici universalis; alia Facti, quæ est de aliquo facto vel non facto, ideoque dicitur particularis, uti si ignorem, an jaculando occiderim Titium necne.

Q. 117. *Quale malum, & utrùm majus malum sit ignorantia, an error. R.*

§. I. Error & ignorantia circa necessaria ad finem ultimum sunt maximum malum hominis, quia quantitas mali mensuratur per magnitudinem & necessitatem boni per tale malum exclusi, ergo cum obtentio finis ultimi sit maximum & maximè necessarium bonum hominis, error & ignorantia, quæ causant exclusionem finis ultimi, sunt maximum hominis malum. 702

§. II. Quamvis ignorantia & error invincibilis circa non necessaria ad finem ultimum semper sint malum Physicum intellectûs, cum finis, & consequenter bonum intellectûs sit nosse verum, uti in se est; tamen sæpe per accidens sunt in genere moris meliora, quàm scientia; sic melius est marito nescire præteritam fornicationem uxoris suæ, & opinari falsò, quòd semper fuerit casta quàm scire non fuisse, nam aliàs turbaretur pax, confidentia, amor: item melius est homini planè ignorare præceptum, aut falsò putare illud non dari, si Deus prævideat eum transgressurum, si sciret &c. 703

§. III. Error in plerisque est majus malum quàm ignorantia, quia intellectus per errorem, utpote formam contrariam, pejus disponitur in ordine ad cognoscendum verum, ideoque etiam faciliùs est eum edocere veritatem, qui purè ignorat, quàm qui simul errat circa eam, quia intellectus non faciliè agnoscit se errare, & difficiliùs recedit ab eo, cui semel adhæsit. 704

§. IV. Error est quandoque melior quàm ignorantia; 705

rantia; sic Titio melius est, si erroneè judicet Cajum esse patrem suum, quàm si id ignoraret, jam enim probare potest se esse civiliter legitimum, habet ab eo educationem, directionem, alimenta &c.; circa illa autem objecta, quorum veritas certò cognosci non potest, communiter saltem est melius habere cognitionem probabilem, quamvis per accidens erroneam, quàm puram ignorantiam, nam sæpe veritas illorum investiganda est, uti circa objecta incerta videmus sæpe disputari à viris sapientibus in scholis omnibus tam Philosophicis, quàm Theologicis, stultum autem foret dicere, quòd expediret nunquam de ejusmodi objectis judicare pro vel contrà, is enim foret error Academicorum, qui dicebant nunquam in incertis judicandum esse, ne forte erreretur, quod somnium explòditur ab omnibus, & ratio est, quia cùm motiva gravia & ad prudenter judicandum sufficientia occurrant, per quæ intellectus possit saltem probabiliter attingere veritatem, non est, cur impediatur eam veritatem apparentem amplecti, hic enim est finis illius, & ideo non quiescit, nisi formato aliquo circa talia objecta iudicio, quod maximè valet, si objecta sint practicabilia, ad quorum positionem vel omissionem dirigamur per iudicia secundum apparentiam veritatis formata, ergo. *Si dicas*, finem intellectus esse attingere veritatem in se, *Contrà* est, quamvis enim hic sit finis primarius, tamen ubi non est modus eam certò attingendi in se, finis secundarius est quærere & conari attingere eam, ubi apparet, quod sit per iudicium probabile, licet per accidens sit erroneum, uti dictum est à n. 97., quæ omnia confirmantur ex dictis à n. 14., ubi ostendimus etiam per errorem invincibilem intellectus refundi posse honestatem in actum voluntatis, possuntque etiam videri dicta n. 400. 417., Item *Terit. in Reg. q. 60.*

Obj

Objicies. Omnis error est positiva imperfectio intellectus, faciens malam ejus dispositionem, ergo semper est peior quam ignorantia, quæ tantum est privatio perfectionis; sicuti vitium est majus malum voluntatis, quam præcisè privatio virtutis. *R.* Omnis error imprudens est positiva imperfectio intellectus, c, prudens siue probabilis & nitens gravi ac prudente motivo subd, est positiva imperfectio secundum quid, ita tamen ut simul sit perfectio, c, est positiva imperfectio pura, n. ant. & conseq.; quod autem actus probabilis, licet sit falsus, sit etiam perfecta intellectus, evincitur hoc argumento, nam si actus ille esset verus, utique foret perfectio intellectus, & quidem primariò intenta, ergo etiam est perfectio saltem secundariò intenta, ubi primaria obtineri non potest, licet sit falsus, dummodo non sit temerarius sed prudens: *Prob. conseq.*, nam veritas aut falsitas in recto est idem actus, qui in ratione veri vel falsi completur per existentiam vel non existentiam objecti, planè extrinsecam intellectui, ideoque actus, qui nunc est falsus, poterat esse verus, si objectum se aliter habuisset, & consequenter perfectio intrinseca, quam intellectus habet per actum, consistit in vitali tendentia & adhæsiōne ad objectum propter prudens motivum veritatis apparentis, quod convenit actui etiam falso, ergo. Ad hoc, quod additur de vitio, responsum est n. 417.

Q. 118 An omnis veritas in rebus moralibus possit à nobis inveniri. *R. Eliz.*, ut excludat omnem usum opinionum, & ostendat ignorantiam legum esse vincibilem, docet toto l. 7. & 8. omnes veritates morales esse à nobis invenibiles traditque varios modos illas inveniendi: & ut doctrina illius melius confutetur, præmitto breve ejus compendium.

[708

§. I. L. 8. q. 2. & 3. docet, incedendo in via opinionum, siue sequendo rationes proprio ingenio inventas, non posse inveniri veritatem. Addit q. 4. §. 2. & 3. debere esse notas & signa, è quibus dignoscatur veritas, etiam prætermisso omni examine opinionum, sicuti debuerunt esse notæ veræ fidei prætermisso omni examine mysteriorum secundum se, nam sicuti Deus voluit omnes, etiam indoctos, rectè credere, ideoque dedit notas ad rectè credendum, communes doctis & indoctis, ita etiam, quia voluit omnes, etiam indoctos, rectè operari, debuit illis dare notas rectæ operationis, communes doctis & indoctis, talis autem nota non est via vel examen opinionum, nam harum capaces non sunt indocti, ergo. *Contrà est*, licet ante omnia attendere debeamus, quid doceant Scriptura, Concilia, PP. & DD., nemo tamen contemnet viam ratiocinationis, ubi veritas nobis per Auctoritatem non innotescit, & ideo ad rationem etiam sæpe recurrunt PP. & DD., hinc dicimus, ubi aliunde non rescitur veritas, optimam notam veritatis esse, si pro hac vel illa parte sit prudens ratio, grave motivum, rationabile argumentum; & hujus notæ capaces sunt etiam indocti, qui saltem per doctiores de hoc rescire possunt.

709

§. II. Q. 5. & 13. dicit primum modum inveniendi veritatem esse, quærere sapientes DD, quos sequaris; q. autem 8. dicit neminem esse sapientem, nisi verum dicat, quia sapientia est cognitio veri, ideoque addit neminem posse reddere aliquam opinionem probabilem, nisi de ipso sic liceat argumentari, *Auctor ille hoc dicit, ergo est verum. Contrà est*, ille hic dicitur sapiens, qui est omni exceptione major, ideoque prudenter præsumitur dicere verum, quia ut plurimum dicit verum, licet fortè hic & nunc invincibiliter erret, utà explicatum est n.

160. &

160. & 245. Unde ut Auctor dicatur sapiens, satis est sic posse inferri, iste *Auctor hoc dicit, ergo hoc est probabiliter verum.* Vide dicta n. 99. in *Inst.*

§. III. Q. 6. ostendit secundum modum inve- 710
niendæ veritatis esse, videre, cujus doctrinæ perpetuitas detur in Ecclesia, sicuti enim fides, ita doctrina illa est vera, quæ in Ecclesia fuit perpetua. In hoc non repugno, sed ubi dubium est, an hæc, an opposita doctrina tradita sit ab Ecclesia; item, ubi sunt quæstiones vix antehac motæ in Ecclesia, aut saltem in neutram partem decisæ, utriusque aliter quæri debet veritas.

§. IV. Q. 9 dicit tertiam notam veritatis esse, si 711
doceatur à Doctore verè sapiente; verè autem sapiens dignoscitur ex nota, quam *Christus dedit Matt. 7. & Luc. 6. Ex fructibus eorum cognoscetis eos: fructus verò ille, ex quo dignosci possit verax magister, est constans charitas in Deum & proximum, hinc q. II. & 12. fusè ostendit, quomodo per charitatem perveniatur ad veritatem. Contrà est, quamvis fateamur charitatem esse utilissimam etiam ad inveniendam veritatem, tamen I. æquè difficile est cognoscere, quisnam verè habeat charitatem, ac, quisnam vera doceat. 2. Christus de Magistris sequendis dicit, *Quæcumque dixerint vobis, facite; secundum autem opera eorum nolite facere: hi utique charitatem non habebant: 3. Licet quis charitatem habeat, non ideo semper loquitur vera, sed sæpe saltem invincibiliter errat, uti ostensum est n. 99. ; & licet charitatem non habeat, non ideo semper loquitur falsa.**

§. V. Eâdem q. 9. §. 6., iterumque q. 10. dicit 712
rigorem sententiæ esse quartam notam veritatis. *Contrà est, nam plurimæ sententiæ ob nimium rigorem damnatæ sunt, uti patet ex Bajanis aliisque*

ab *Alex. VIII.* damnatis: & per decursum ostendimus multas sententias rigidas esse falsas aut etiam improbables, ergo præcisè ex eo, quòd opinio sit rigidior, inferri non potest, quòd sit vera: *Nec obstat*, quòd Christus dicat viam ad vitam, & consequenter ad veritatem, esse arctam, *nam* idem etiam dicit jugum suum esse suave & onus leve; via autem mandatorum Dei & Ecclesiæ est per se satis arcta, nec debet arctior fieri per rigorem opinionum inducentium leges ignotas.

713 §. VI. Non omnis veritas moralis potest à nobis certò inveniri. *Ratio* est manifesta, quia sæpissime pro utraque parte sunt probabilia motiva, quorum unum non elidit alterum, uti à n. 237. & 261. ostensum est, hinc etiam SS. PP. & integræ scholæ certant invicem de veritate hujus & illius partis, ergo pro neutra parte est certitudo, neque etiam spes est aliquid certi rescindi, nisi fortè Ecclesia aliquid declaret.

Respondet Camargo l. 2. contr. 4. à n. 556. Hanc veritatis inventionem non videri ita promissam Magistris docentibus, sicut unicuique moraliter operaturo. *Contrà* est, 1. Si Magistri veritatem invenire non possint, quomodo invenient discipuli aut alii rudes? 2. Si Magistri errent, etiam errabunt alii, qui tamen jubentur facere, quod illi docuerint: Et de Magistris *Matt. 5.* dicitur, *si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, uti exponit *S. Hier.* in eum locum & *S. Aug.* l. 1. de Serm. Domini in monte c. 6. Tom. 4., si vos aberraveritis, qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum. 3. Etiam Magistri debent moraliter operari, & quidem secundum sua dictamina, uti volunt adversarii, ergo etiam illis debet esse invenibilis veritas.

§. VII.

§. VII. Omnis veritas moralis, si in eam inquiratur, poterit probabiliter inveniri, quia occurrent pro hac vel illa parte, aut etiam pro utraque gravia motiva ex auctoritate vel ratione, propter quæ poteris hanc aut illam partem amplecti tanquam veram, sicque probabiliter inveneris veritatem: imò non inventio veritatis aliquando erit aliqua illius inventio, uti dicitur n. 718.

§. VIII. *Objicies* 1. Scriptura *Eccli. 32. v. 19.* 715
ait, *qui querit legem replebitur ab ea; & Matt. 7. v. 7, querite & invenietis*, quod intelligitur de omni lege & vero, tam juris naturalis quam divini pertinente ad unumquodque, ita *Eliz. l. 7. q. 4.*, probans idem ex verbis SS. *August. Hieron. Chrysof.* &c. R. Scriptura & SS. PP. loquuntur de scitu necessariis ad salutem, uti rectè *Teril. in Reg. q. II. à n. 8.*, non autem de aliis, cum quorum ignorantia stare potest gratia, & obtineri salus; & talis est ignorantia multarum veritatum moralium, saltem si sit invincibilis.

Obji. 2. Datur in intellectu nostro naturalis inclinatio ad veritates morales inveniendas, ergo sunt invenibiles, quia inclinatio naturalis non est ad impossibile, ita *Eliz. q. 2. R.* Ergo sunt invenibiles, semper certò, n, saltem probabiliter, c.: *Aliter aliquid sapere, quàm res se habet, humana tentatio est*, inquit, *S. Aug. l. 2. contra Donat. c. 5.*, *in nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, angelica perfectio est.*

Obji. 3. Finis doctrinæ moralis est perfectio operationis honestæ, sed hæc non habetur sine veritate, veritas enim est magna perfectio, cum faciat actum conformari etiam materialiter legi æternæ, ergo veritas est finis doctrinæ moralis, ergo cum finis doctrinæ moralis sit à nobis assequibilis, etiam

erit affequirabilis veritas, ita *Eliz.* R. Si valet argumentum, ergo nulla doctrina nequidem probalior procedens cum ignorantia vel errore invincibili sufficiet ad honestam operationem. R. 2. n. min., quamvis enim honestas adæquatè & perfectiùs habeatur per doctrinam etiam materialiter veram, si tamen sit doctrina prudens & invincibiliter erronea, etiam causat honestatem & perfectionem in operatione, uti dictum est à n. 14., ideoque dico finem doctrinæ moralis esse perfectionem operationis honestæ, ad quam sufficit veritas vel in se vel apparens, item veritas vel certò vel probabiliter inventa. Videri potest *Teril.* q. 14. à n. 28.

718 Q. 119. *An, non inventio veritatis quandoque fundet ejusdem inventionem in ordine ad dubia conscientia salvenda.* R. Affirmativè, & in hoc conveniunt *Eliz.* & *Teril.* q. 53., si enim adhibuerim moralem diligentiam, valet hic syllogismus, *si hoc fuisset verum, ego veritatem illam inveniissem, sed illam non inveni, ergo hoc non est verum*: consequenter non inventio veritatis post sufficientem inquisitionem in materia juris & legum, dat sufficiens fundamentum negandi talem legem: è contrà non inventio veritatis in materia facti non semper sufficit; & disparitas est, quòd leges sint universales, diuturnæ & fixæ, hinc, si dentur, successu temporis debent innotescere; facta autem sunt particularia, transeuntia & varia, ideoque illorum cognitio faciliùs later: potest nihilominus etiam factum esse tale, ut aliquando ex illius, post adhibitam debitam diligentiam, non inventionem, veritas ipsa sufficienter inveniatur, v. g. si scrupulosus rescire non possit se recitasse aliquam Horam, judicare potest se recitasse, quia cum semper sollicitus sit, ne omitrat, si non recitasset, sciret se non recitasse, ita *Eliz.* & *Teril.* n. 53. simile

simile est, si in aliquem cadat suspicio v. g. homicidii, si enim post inquisitionem juridicam non inveniatur occidisse, censetur inventa veritas, quod non occiderit, quia pro ipso est possessio pro innocentia, nec mala facta præsumuntur, sed probari debent. Vide dicta n. 272. 273.

Q. 120. *An dari possit ignorantia invincibilis circa leges positivas.* R. *Eliz.* negare non audeat absolutè, acramen l. 7. q. 16. §. 1. docet, raras fore invincibiles ignorantias legum etiam humanarum & juris positivi ad unumquemque pertinentis: sed quoad legem humanam, certissimum est eam sæpe invincibiliter ignorari à multis, uti docet experientia, multis enim sæpe proponuntur præcepta humana, de quibus antea nunquam audierant vel cogitarent, neque illis inciderat in illa inquirere: idem ferè est etiam de multis præceptis positivis Dei, etiam ad salutem necessariis vel saltem conducentibus, uti rectè cum communissima *Platel.* p. 2, n. 254. & seqq. *Probat* 1., ex illo *Ioannis 15. v. 22. si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* ergò in illis, qui non audierunt, est ignorantia invincibilis juris Divini saltem positivi: hinc etiam ad *Rom. 10. v. 14. dicitur, quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* certum autem est multis non esse prædicata seu annunciata quædam positiva præcepta Dei.

2. Multis, non tantùm inter Barbaros sed etiam inter Fideles, necdum venit in mentem cogitare de variis præceptis positivis Dei, v. g. de præcepto confitendi, sumendi Eucharistiam aliquando, credendi Incarnationem, Resurrectionem &c., quæ *S. August.* tr. 89. in *Joan.* dicit sine culpa posse ignorari, unde si tales homines damnentur, hoc non est pro-

pter hanc infidelitatem, sed propter alia sua peccata, uti expressè *S. Tb.* 2. 2. q. 10. a. 1. in O, ideoque etiam inter Bajanæ damnata est à tribus Pontificibus hæc 68. prop., *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

3. Præceptum Divinum est confitendi omnia mortalia, etiam secundum circumstantias mutantres speciem, uti declarat *Trid.* Sess. 14. c. 5., qui autem dicit non posse dari ignorantiam invincibilem in agnoscenda distinctione specifica peccatorum, Theologus non est, est enim res difficillima & dubiis in utraque partem probabilibus plenissima, ergo: 4. Si non daretur ignorantia invincibilis circa jus positivum Divinum, multi ex SS. PP. peccassent mortaliter & probabiliter essent damnati, nam, uti refert *Carden.* in I. crisi d. 15. n. 433. *S. Hieron.* putavit omne iuramentum à Christo esse prohibitum, eò quòd dicat, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*: è contrà *S. August.* tenebat oppositum: Item *S. Tb.*, uti refert *Platel.* supra, docuit non dari præceptum Divinum statim confitendi mortale; è contrà *S. Bonav.* dicebat dari, & omnes hi PP. ac SS. viri in ea doctrina permanserunt, ac quantum scimus, ei immortui sunt, ergo si præceptum ejusmodi Divinum non potest ignorari invincibiliter, alterutri peccarunt mortaliter & probabiliter sunt damnati, quod nefas est cogitare: vide dicenda n. 722. Quæ autem hic obijci possent, solventur à n. 727 & 737.

720 Q. 121. *An dari possit ignorantia invincibilis, etiam circa jus natura.* R. Negant aliqui cum *Sinnichio* apud *Teril.* de Consc. prob. q. 16. n. 83., quorum argumenta dabimus à n. 727.: sed dicendum est, non posse quidem, saltem diu, dari ignorantiam invincibilem circa prima principia juris naturæ, neque circa conclusiones immediatè & clarè

ex

ex illis deductas, in his enim, quisquis ratione utitur, statim videt, quod sint conformes vel diffformes rectæ rationi, hinc sicuti auditis primis principiis Metaphysicè evidentibus aut immediatè & clarè deductis, statim quilibet assentitur, ita etiam istis, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; nemini invito licitum est propriâ auctoritate suam tollere: bonum est amplectendum, malum fugiendum; virtus est amplectenda, peccatum fugiendum &c. hæc principia sunt ita clara, ut eorum veritas à nemine de illis cogitante possit ignorari: è contrà tamen si sint conclusiones aliæ, quæ mediatè vel obscurè deducuntur ex principiis juris naturæ, poterit circa illas dari ignorantia invincibilis, ita *S. Th. I. 2. q. 100. a. 1. Alb. M. in 2. d. 22. a. 10. S. Bonav. in 2. d. 39. a. 1. q. 2. Corduba l. 2. quæstionarii q. 4.* dicens, in hoc concordare communiter DD, citansque alios antiquissimos: *Cardin. D. Aguirre T. I. tr. I.* notans esse communem, *Gonet* de probabilitate circa finem, oppositam vocans singularem & improbabilem, *Medina I. 2. q. 76. a. 2. Sylvius I. 2. q. 76. a. 3. VViggers I. 2. q. 6. a. 8. n. 22. Malder. I. 2. q. 6. a. 8 Duval. de peccat. q. 7. a. 2. Gammach. I. 2. q. 94. Isamb. I. 2. q. 79. a. 6.* alique innumeri ex omni ætate, sexu, ordine, uti videri potest apud *Gonz d. 11. c. 9. Ratio est, I. Quia, qui* 721
 non studuit nec instructus est, ille invincibiliter ignorat aliquas conclusiones juris naturalis, sed dantur multi, qui nec studuerunt nec instructi sunt, ergo. *Min. patet; Maj. prob.,* quia conclusiones multæ spectantes ad jus naturæ debent ex primis juris naturæ principiis deduci *per studium*, uti loquitur *Alb. M.*, & *per instructionem superadditam*, uti loquitur *S. Bonav.*, ideoque indigent *disciplinâ*, quâ minores à Sapientibus instruuntur, uti habet *S. Th.*, non enim facile scitur, an spectent ad jus naturæ nec-

ne, sed hoc debet examinari per discursus fati difficiles & per illationes multas, quas multi facere nesciunt, idque sine ulla culpa: imò nullus est tam doctus vel instructus, qui de omnibus conclusionibus, quæ ita mediata & obscure deduci debent, judicare possit, an rectè deducantur necne, sicuti enim potest aliquis hæere & errare in faciendis illationibus ex principiis primis Metaphysicis, ita multò magis ex moralibus, ergo, 2. Si omnis ignorantia circa jus naturæ sit vincibilis, ergo, cum secundum Adversarios etiam sit culpabilis, SS. PP., qui circa illud errarunt, peccarunt mortaliter & probabiliter damnati sunt, uti dicebamus n. 719., quia istis suis ignorantibus probabiliter creduntur esse immortui, v. g. *S. August.* Epist. 8. ad Hierony. docet simulationem non esse licitam, è contrà *S. Hieron.* Epist. 11 apud August., docet esse licitam, & pro se citat *S. Chryf. Didymum, Origenem* aliosque, uti refert *S. Tb.* in Epist. ad Galat. c. 2. lect. 3. & *Carden.* in 1. crisi d. 15. n. 43. *Si dicas*, Eos vel egisse pœnitentiam pro peccatis ignorantia, vel per levitatem materiæ excusatos fuisse à mortali, *Contrà* est, nam in primis non constat, quòd mentem unquam mutarint, ergo nunquã eos de hoc pœnituit; nec sufficit, quòd pœnituissent, si scivissent, nam non ideo pœnituerunt, nec excusabantur per ignorantiam, uti volunt Adversarii. Deinde si levitas negligentia excusabat à mortali, ergo ubi nulla est negligentia, nullũ erit peccatum, & consequenter cui nunquam incidit dubitare, aut si incidit, dummodo moralem diligentiam adhibuerit in inquirenda veritate, hac non inventã, si bonã fide perrexerit, perget ex ignorantia invincibili. *Conf.* nam in multis qq. juris naturæ, quæ respiciunt praxin, Schola Thomistica docet hanc partem, Scotistica contradictoriam, & necesse est alterutram partem errare: idem est de

Docto-

Doctoribus, Advocatis, Confiliariis sæpe in materiis
 juris naturæ diversa docentibus & suadentibus, si
 omnis error hic vincibilis est, ergo errantes gra-
 viter peccant & plerique damnantur, cum enim
 credant se bene sentire & suadere, ad mortem usque
 practicant ejusmodi opiniones: tenebuntur itaque
 omnes dimittere munus Doctoris, Advocati, Consi-
 liarii, ne exponant se periculo proximo errandi cir-
 ca jus naturæ. 3. Quamvis omnes sciamus hanc le-⁷²³
 gem naturæ, quod mendacium ordinariè sit prohi-
 bitum, item quod ordinariè non liceat propriâ au-
 thoritate occidere quenquam, tamen possunt dari
 tales circumstantiæ, ut invincibiliter putemus hic &
 nunc ista licere, sic enim *Cassianus* vir Sanctus & do-
 ctus, Item *Marulus* & alii putarunt mendacium of-
 ficiosum aliquando esse licitum, v.g. si per illud possem
 patriam ab interitu aut hominem ab æterna damna-
 tione eripere; sic apud *Cassianum* collat. 21. c. 10. ex-
 cusatur Abbas *Theonas*, qui invitâ uxore factus est
 Monachus: sic rusticus, teste *Vasq.* 1. 2. d. 122. c. 2.
 existimabat se honestè & piè facere, versando ægro-
 tum in alteram partem, ut tantò citius animam ex-
 halando liberaretur à gravissimis doloribus: sic se-
 cundùm *S. Hieron.* in c. 7. *Ieremia*, *Iephte* occidens
 filiam excusabatur: sic alius apud *Sarasam* in arte
 semper gaudendi p. 2. tr. 2. §. 6. ex zelo gloriæ Dei &
 salutis animarum baptizabat Maurorum infantes à
 parentibus abductos, statimque eos trucidabat, ut
 certò salvarentur, & ne reducti ad parentes iterum
 seducerentur: denique multi sunt, qui aliquo saltem
 tempore nullam adverterunt malitiam in simplici
 commotione vel osculo carnali, imò admittunt
 multi etiam circa pollutionem esse posse ignorantiam
 invincibilem, quamvis *Teril.* in Reg. q. 62. n.
 17. dicat esse rarissimam, quia vix est, quem vehe-
 menter

- 724 *menter non puderet fateri eam. 4. Secundum Adversarios, ad jus naturæ spectat sequi Sententias probabiliore aut etiam tutiores, sed nisi maximam DD. multitudinem damnes, hoc jus invincibiliter ignoratum est & adhucdum ignoratur à multis, uti constat ex dictis n. 269. & 480. , ergo. 5. Si non datur ignorantia invincibilis in jure naturæ, ergo qui contra jus naturæ operatur sequens sententiam etiam probabilissimam, ille non excusatur, hoc autem damnatur ab *Alex. VIII.* in hac prop. 3., *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam,* ergo: *Conf.* nam aliqua ignorantia in jure naturæ excusat à peccato, uti à n. 734. probabitur, ergo aliqua est invincibilis. 6. Si nulla dari posset invincibilis, ergo qui ex ignorantia fecit multos actus contra jus naturæ, semper confitebitur invalidè, hinc si postmodum intelligat hoc vel illud fuisse contra jus naturæ, tenebitur repetere omnes Confessiones totius vitæ; si iterum postea aliquid novi intelligat, iterum tenebitur repetere priorem & reliquas omnes, sicque sæpius, quoties recurret memoria alicujus facti repugnantis juri naturæ, & demum si vel unicum actum ponat planè ignorans contra jus naturæ, tandem etiam damnabitur; primum autem est intolerabile, & secundum non est præsumendum de divina bonitate, ergo. Ex dictis,*
- 726 *Colliges,* inter articulos Romæ anno 1685. die 8. Aug. confixos, quos defenderant Theologi aliqui Lovanienses, etiam hunc ordine tertium justè esse confixum, qui propugnatus erat in collegio Adriani die 12. Julij, *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.*
- 727 *Q. 122. Quæ sint, & quomodo solvantur argumenta adversariorum. R.*

Obj.

Objiciunt 1. Omnis veritas moralis est invenibilis, ergo nulla datur ignorantia invincibilis circa operabilia. *R.* n. antec., de quo satis dictum est à n. 707.

Obji. 2. Potuiffemus illas ignorantias juris naturæ vincere, si non peccaffemus in Adamo, ergo illæ ignorantia non sunt absolutè invincibiles. *R.* 1. Etiam sic vincere potuimus ignorantias juris positivi, & tamen secundum adversarios dari potest invincibilis circa jus positivum. *R.* 2. n. conseq., certum enim est ad hoc, ut aliquid dicatur à nobis vincibile & voluntarium, non esse satis, quòd pendeat à peccato originali, uti dicemus n. 743., Et hinc etiam *Alex. VIII.* damnavit hanc 19. prop., *Homo debet agere totà vità pœnitentiã pro peccato originali.* 728

Inst. Saltem ignorantia juris naturæ vinci posset per lumen gratiæ, quam quisque tenetur petere, & dabit Deus, uti habet *S. Th.* opusc. 73. in proœmio, quia vult omnes salvos fieri, diciturque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: hinc etiam *Trid. Sef. 6. c. II.* ait, *Deus jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjurat, ut possis.* *R.* 1. Idem valet de ignorantia juris positivi. *R.* 2. Non omnes ignorantias illas vinci posse per gratiam ordinariam; licet autem vinci possint per extraordinariam, non ideo desint ignorantia esse invincibilis, aliàs nec jus positivum posset invincibiliter ignorari, quia vinci posset hæc ignorantia per gratias extraordinarias. Ad illud, de obligatione orandi, *R.* SS. PP. petierunt, & tamen circa jus naturæ errarunt; & adhucdum petunt alii, qui tamen pergunt errare, uti constat ex dictis n. 722. Hinc *S. August.* in Epist. 28. ad Hieron. ait, *Quamvis desiderem, rogem, votis ardentibus exoptem, ut per te mihi Dominus hujus rei auferat* ignoran-

ignorant-

ignorantiam, tamen si, quod absit, minimè meruerit, patientiam mihi petam à Domino Deo nostro, in quem sic credimus, ut aliqua nobis non aperiri pulsantibus nullo modo adversus eum murmurare debeamus. Similiter S. Th. l. c. petiit lumen, ut agnosceret veritatem circa usuram, & tamen sæpe dubitat, quid resolvat, fateturque se multa dicere tantum probabiliter. *Nec jurat*, quòd Deus velit omnes salvos fieri, *nam* ad hoc non est opus tolli omnes ignorantias juris naturæ, cum non omnia sint de necessitate medii: per hoc autem dicitur illuminare omnem hominem, quòd det sufficientia auxilia ad agnitionem sui, & eorum, quæ sunt de necessitate medii. *Trident.* monet facere, quod possis, suppositâ cogitatione illius, quod facere debes, non autem monet facere, quod non cognoscis esse faciendum, neque dicit te semper cognoscere id, quod petis cognoscere, & quod de cætero esset faciendum.

730 *Obj.* 3. Si detur ignorantia invincibilis legis naturalis, hæc lex frustra erit, quia erit incognoscibilis, adeoque impossibilis observatu. *R.* 1. Idem valere contra ignorantiam invincibilem legis positivæ. *R.* 2. n. seq., nam saltem aliqui eam agnoscunt vel agnoverunt vel suo tempore agnoscent, unde ejusmodi lex nec per se nec absolutè est incognoscibilis, quamvis non sit proximè observabilis respectu illorum, qui ignorant, quod per accidens est, & eam reddit aliquibus tantum hic & nunc inobservabilem.

731 *Inst.* Lex naturalis est simul divina, stultum autem est cogitare, quòd Deus aliquid velit fieri à nobis, & simul nolit id à nobis sciri, ergo cum sit sapiens, nec possit velle finem obtineri, nisi subministratis mediis necessariis, etiam dedit nobis, ut scire possimus, si faciamus, quod in nobis est, ergo talis ignorantia

tantia non est nobis invincibilis. ita *Eliq.* l. 7. q. 4. §. 5., qui q. 5. *Confirmat*, nam si aliqua præcepta naturæ vel Dei inveniri non possent à serio inquirentibus, ergo aliqua Dei præcepta secundùm præsentis vires nobis sunt observatu impossibilia, quæ est hæresis *Iansenii*, quòd enim non est invenibile, non est cognoscibile, ergo nec observabile. Addit q. 6., Deus ferens legem, prævidit omnes circumstantias, in quibus futurus erat homo ille, & tamen voluit eum obligari, ergo pro infinita sua sapientia debuit providere, ut posset scire legem illam. Idque q. 7. docet ex probatis Historiis constare, quòd Deus legem suam edocuerit eos, qui, in quo poterant, non defecissent. Q. autem 8. ex *SS. Iustino & Prospero* probat Deum non occultare veritatem illi, qui facit, quod in se est, ut inveniat. Denique q. 9. probat à pari veritatem omnem circa legem naturalem & divinam esse invenibilem, sicuti fides explicita in Christum est nunc invenibilis, ergo nulla ignorantia legis naturalis est invincibilis. *R.* 1. Omnia ista valent de ignorantia legis positivæ, quæ tamen potest esse invincibilis. *R.* 2. Deum non velle aliquid fieri à nobis, nisi suppositâ cognitione illius, & agnitâ obligatione faciendi, talem autem cognitionem non semper dat, nec dare tenetur, quamvis sit infinitè sapiens, uti constat ex dictis n. 722. & 729. *Ad. Conf. R.* *Jansenii* errorem fuisse, quòd aliqua Dei præcepta, licet cognita, essent observatu impossibilia: neque verum est, quòd Deus ferens legem, semper velit pro omnibus circumstantiis quemque obligari, sed prius vult hoc, suppositâ legis cognitione; *SS.* autem *PP.* illi loquuntur de veritatibus ad salutem necessariis necessitate medii, qualis nunc est etiam illa fides in Christum; de aliis veritatibus non necessariis necessitate medii non est similis ratio, uti per se patet.

Objs.

732 *Obji. 4.* Qui agit contra particularem legem naturæ, etiam agit contra universalem, sub qua illa particularis continetur, non potest autem dari ignorantia invincibilis talis legis universalis, ergo nec illius particularis sub ea contentæ. *R. 1.* Idem valet de lege positiva, v. g. qui agit contra quaecumque præceptum particulare humanum, etiam agit contra illam legem universalem, *parendum est præcepto legitimi Superioris*, & tamen dari potest ignorantia invincibilis particularis præcepti humani, licet dari non possit illius universalis legis, hinc *R. 2. n. conseq.*, quia licet aliquis sciat legem universalem, tamen potest errare in applicatione illius ad particulare operabile, uti rectè *S. Th. 1. 2. q. 94. a. 6.*, sic rusticus ille, de quo *Vasq. supra*, quamvis sciret illam universalem, *quod tibi vis fieri, alteri feceris*, eamque semper vellet observare, tamen malè applicabat sic discurrendo, ego in ejusmodi acutissimis doloribus constitutus, si scirem me nihilominus brevi moriturum, mallem mihi paulò citiùs abrumpi vitam, ut liberarer illis doloribus, ergo versando istum ægrum, quem prævideo inde paulò citiùs moriturum, facio id, quod vellem mihi fieri, & consequenter bene ago.

733 *Obji. 5.* Natura ipsa refugit illa, quæ sunt contra jus naturæ, hinc *Tertull. adversus Marcionem l. 5. c. 13. ait, Ipsa nos docet natura. qua legis est instar ignorantibus legem*: & ideo etiam actus, qui fiunt contra legem naturæ, tales sunt, ut coram aliis non auderemus facere, ergo convincimur satis agnoscere inhonestatem. *R.* Id tantùm valere de illis, quæ sunt clarè contra prima principia juris naturæ, non autem de aliis, de quibus prudenter dubitatur, sintne licita necne, qualia sunt innumera, & talia non refugit natura agere, quamvis fortè sint contra jus naturæ.

ruræ. Adde, licet quis nollit aliquid agere coram alio, non ideo statim agnoscitur inhonestas moralis, nam honesta & naturalis verecundia vetat quædam fieri publicè, quæ tamen non sunt moraliter inhonestæ, uti per se patet. Reliqua solventur à n. 737.

Q. 123. *An ignorantia invincibilis sit inculpa.* 734
bilis, sive, excuset à peccato. R.

§. I. Negant Lutherus in c. 12. Genes., scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, qua simpliciter à toto excuset, id est, peccatum proorsus tollat; tanta cecitas est in Papa scholis. Similiter Jansenius de statu naturæ lapsæ l. 2. c. 6., legis natura ignorantia ita vitiosa est, ut sine peccato nullo modo infligi queat, quantumvis etiam humanæ potestati invincibilis sit. Idem docuerunt Sinnichius, Vianen, Huyghens, Havermans aliique Lovanienses, à quibus vix recedit Elix., nam l. 5. q. 5. docet peccari, licet actu non sciatur nec advertatur peccari: Et §. 3. addit peccari, etiamsi non adsit nequidem habitus, quo sciatur hoc esse peccatum, quod quis facit, ideoque peccari posse, si amisisti scientiam, quam habuisti, vel etiam, si nunquam scivisti hoc in particulari esse peccatum, nec de hoc tibi unquam inciderit cogitatio. Postmodum q. 10. §. 5. loquens de falsis religionibus ait, *indubitatè concludamus per suos errores eos delinquere, etsi nunquam de eorum falsitate dubitaverint, sed profundissimè decepti vivant.* Nihilominus postmodum q. 17. §. 6. & seqq. fusè contendit contra Jansenistas, quod à peccato excuset ignorantia invincibilis.

§. II. Est nunc certissimum, quod ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, & pro statu naturæ lapsæ, excuset à peccato formali, ita communissimè docent omnes cum Moya de opin. prob. q. 6. à n. 19. Estque sententia omnium PP, uti de S. August.

ostendetur n. 738., & de *S. Th.* n. 740. consonat *Salvianus* de gubern. Dei l. 4 pag. mihi 127. *Non facit aliquid contra legem legis ignorans.* Pag. 131. *Nullus potest illius rei prævaricator esse, quam nescit.* Idem dicit *Hugo Cardinalis* apud *Teril.* de consc. prob. q. 16. n. 5. his verbis, *Ignorantia invincibilis excusat à tanto & toto; simplex excusat à tanto & non à toto; affectata, nec à tanto nec à toto.* Idem dicunt passim alii PP. Et *Ratio* est I. nam *Alex. VIII.* die 7. Dec. anno 1690., inter prop. 31. damnat hanc secundam, *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsa operantem ex ipsa non excusat à peccato formali;* ergo nunc certum est, quod ignorantia invincibilis, etiam in jure naturæ, pro statu naturæ lapsæ excuset à peccato formali. 2. Si non excuset, ergo *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit,* sed hoc falsum est, ergo. *Min.* patet, nam illam propositionem inter *Bajanas 67.* damnarunt *Pius V. Greg. XIII. Urb. VIII.* Major etiam constat, quia secundum dicta à n. 720. potest quis invincibiliter judicare se teneri leviter mentiri, ut damnationem alterius impediatur, hic necessario peccabit, imprimis si mentiatur, quia eum non excusabit ignorantia; deinde etiam, si non mentiatur, quia faciet contra conscientiam, quam hic & nunc deponere non potest, uti supponitur. 3. Si non excuset, ergo mortaliter peccarunt SS. PP., peccantque etiamnum quotidie plurimi viri sapientissimi, uti 719. & 723. dictum est. 4. Ubi ignorantia est invincibilis non potest contrahi malitia, ergo non peccatur. *Prob. ant.*, malitia non contrahitur, nisi fuerit cognita, sed ubi ignorantia est invincibilis, malitia non est cognita, ergo. *Minor* patet, *Major* etiam constat, nam ut sit voluta, debet esse cognita; hinc

hinc s.
tifices
Ad ra
volun
& ori
luntar
c. 13.
est, u
rium;
catum
1.2. q
defini
masce
cum a
cum a
volun
luntar
nifest
luntar
hinc e
luntar
fecit,
catum
volun
tate p
vincib
luntar
II. c. 6
Q.
mentar
ta sur
Ob
Diosp
Obliv
non s

hinc 5. Peccatum debet esse voluntarium, nam Pontifices citati damnarunt hanc inter Bajanas 46. prop., *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causa & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium*: Unde rectè dicit S. August. l. I. retract. c. 13., *Vsq̄ue adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; sed quando adest ignorantia invincibilis, peccatum non est voluntarium, quia secundum S. Th. 1. 2. q. 6. a. 1. O. *voluntarium dicitur esse secundum definitionem Aristotelis & Greg. Nysseni & Damasceni, non solum cuius principium est intrà, sed cum additione scientiæ*; hinc de malo q. 3. a. 8. O., *cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*: & I. 2. q. 19. a. 6. O., *manifestum est, quòd illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni & mali moralis*: hinc etiam S. August. c. 15. dicit talem peccare voluntate facti, non voluntate peccati, *quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit, ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati &c.* Ergo quando ignorantia est invincibilis, non est peccatum. Plures rationes sunt insinuatæ n. 724. Videri potest Gonz. d. II. c. 5.

Q. 124. *Quæ sint, & quomodo solvantur argumenta adversariorum.* R. Præter illa, quæ insinuatæ sunt à n. 727., sunt seqq.

Objiciunt I. Auctoritatem Synodi Palæstinæ seu Diospolitaneæ, quæ proscribit hanc propositionem, *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quia non secundum voluntatem sed secundum necessita-*

rem eveniunt: hinc *Eliz.* l. I. q. 16. §. I. ostenditur
 num errorem Pelagianorum fuisse, quod dicerent
 nullam ignorantiam vel oblivionem subjacere pec-
 cato; & §. 4. contendit ab illo errore non abesse
 eos, qui ante peccatum requirunt remorsum confici-
 entia. *R.* Ipsemet *Eliz.* §. 2. docet Synodum loqui
 de sola ignorantia & oblivione vincibili: quidquid
 fit de hoc, melius dicitur, quod Synodus agat contra
 Pelagium, qui negabat peccatum originale, & con-
 sequenter dicebat oblivionem atque ignorantiam
 non habere originem ex peccato originali (quod si-
 gnificabant per illud, *non subjacent peccato*) sed
 esse ex necessitate & infirmitate naturæ, dicebant
 enim Adamum non fuisse melioris conditionis,
 quam nos jam sumus, & sicuti ignorantia & oblivio
 in Adam, sive esset juris sive facti, non fuit ex pec-
 cato, ita nec esse in nobis, quod reprobatur Synodus.
 Videri potest *Teril.* de consc. prob. q. 16. à n. 45.

738

Obji. 2. *S. August.* variis locis videtur asserere
 ignorantiam juris naturæ non excusare à peccato, uti
 ex *Iansenio* fuse adducit *Teril.* à n. 53. *R.* I. Mens
S. Augustini patet, partim ex adductis n. 736., par-
 tim ex seqq., De lib. arbitr. l. 3. c. 19. *Non tibi de-
 putatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod
 negligis querere, quod ignoras.* Et c. 18. generatim
 agens de ignorantia, *Si tanta fallacia est, ut caveri
 omnino non possit, nulla peccata sunt.* Quando in-
 nuit ignorantiam, etiam si sit invincibilis, tamen non
 excusare à peccato, disputat contra *Pelagium*, qui
 dicebat ignorantiam tum excusare à peccato, si per
 vires naturæ sit invincibilis, uti refert ipsemet *S.*
Aug. l. 3. de nat. & gratia c. 17., nos eam tantum
 dicimus excusare, quæ invincibilis est etiam per vi-
 res gratiæ ordinariæ. Videri potest *Teril.* à n. 58.
 Denique quando *S. Aug.* ignorantiam invincibilem
 vocat

vocat peccatum, intelligit effectum, pœnam vel causam peccati, nam l. 3. de lib. arb. c. 19. ait, *non solum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate & à sciente committitur, sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est*, item ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: & in eodem sensu dicit Apostolus ad Rom. c. 6. v. 12. concupiscentiam esse peccatum, cum tamen certum sit ex Trident. Ses. 5. in Decreto de pec. orig. non esse peccatum, sed tantum effectum vel causam aut occasionem peccati. Et ideo S. Aug. l. 1. retract. c. 15. ait, *hoc peccatum, de quo sic est locutus Apostolus ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est & pœna peccati est*. R. 2. Quamvis aliter sensisset S. August. aut alius è SS. PP., nunc præ illis audienda esset Ecclesia, uti dictum est n. 2II.

Obji. 3. S. Th. quodl. 8. a. 13. ait, *Illud, quod agitur contra legem aeternam, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam*: 3. p. q. 80. a. 4. ad 5. *Ignorantia juris non excusat, uti si quis putaret fornicationem non esse peccatum*. Quodl. 9. a. 15. *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto*. Quodl. 3. a. 10. *Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequantur, in rebus enim dubiis non est præstandus assensus*. Plura loca adducit Eliz. l. 7. q. 11. §. 5. in quibus videtur S. Th. clarè dicere, quòd ignorantia in rebus fidei ac morum non excuset à peccato. R. 1. Mens S. Thomæ satis elucet ex locis citatis à Moya de op. prob. q. 6. n. 24. Gonz. d. 9. c. 2. §. 3. Ess. in app. n. 162., & seqq. sufficit hic, l. 2. q. 76. a. 3.

O. Si sit talis ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato. Unde ad textus citatos dicendum est, quòd loquatur de ignorantia vel errore vincibili, & de assensu temerè præstito in re dubia. Hinc *Ad 1.* dicunt *S. Anton. Nider* aliique Thomistæ apud *Moyam*, *S. Thomam* non posse intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura vel Ecclesiæ determinatione, quòd sit contra legem; & hanc ipsam sui explanationem dat *S. Th.* quodl. 3. a. 10. his verbis, *In his, quæ pertinent ad fidem & mores, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, ignorantia non excusat*: quando autem id fiat, exprimit his verbis, *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturae testimonium, sive contra id, quòd publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Et sic patet ad 3. & 4. etiam textum; item ad illud, quod addit *Eliz.* In 2. textu manifestum est, quòd loquatur de ignorantia vincibili, qualis communiter est ista, hinc, de malo q. 3. a. 8. O. ait, *Cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum, ergo nec peccat.* Vide dicta n. 736., & dicenda l. 5. n. 20.

741 *Inst. S. Th.* 1. 2. q. 94. a. 6. ait, *Præcepta secundaria non delentur à cordibus, nisi propter pravas consuetudines & habitus pravos, ergo eorum ignorantia non est inculpabilis, ita Contensonus. R. n. antec., nam S. Th.* addit etiam deleri propter malas persuasiones, quæ aliunde sine culpa advenire possunt. Adde, quòd *S. Th.* loquatur de amissione cognitionis præceptorum, quam fatemur rariùs evenire sine culpa, prima tamen eorum ignorantia sæpe est

est sine culpa, & hoc sufficit ad salvanda ea, quæ hætenus diximus.

Inst. S. Tb. ibidem dicit rationem impediri applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam vel aliam aliquam passionem, hoc autem non est inculpabile, ergo. *R.* Hoc dicit exempli causâ, nam a. 4. dixerat id fieri ex passione vel mala consuetudine vel mala habitudine naturæ, quæ non semper sunt culpa aut ex culpa, imò nec concupiscentia est semper culpa aut nunc imputabilis ad culpam, uti dicitur l. 5. à n. 67.

Obji. 4. Cap. Ex tuarum, de Sortilegio, exaggeratur crimen presbyteri, qui sorte divinarat furem, quamvis ex bono zelo & simplicitate se fecisse diceret. *R.* In foro externo præsumebatur fecisse cum sufficiente cognitione malitiæ, videbatur enim advertere potuisse inspectionem astrolabii ab infami homine factam esse illicitam, hinc à Judice fuit severe carpendus, saltem ad instructionem aliorum. Quando *Gratianus* dicit ignorantiam juris naturalis omnibus adultis esse damnabilem, vel audiendus non est, vel explicandus de ignorantia vincibili, si ve primorum principiorum & conclusionum ex illis facile deducibilem, uti rectè *Teril.* n. 36.

Obji. 5. Ignorantia juris naturæ est pœna peccati originalis, quod in Adamo fuit nobis voluntarium, imò quandoque est pœna peccati nostri personalis, uti arguit *Contens.*, ergo non excusat à peccato: huc facit, quod ait *S. Tb.* in c. 1. ad *Rom.* lect. 7. *Ignorantia nata ex culpa non excusat.* *R. 1.* Eadem valent contra ignorantiam juris positivi. *R. 2. n. conseq.*, alioquin à pari sic argumentor, stultitia, furor, cæcitas corporis, sunt pœnæ peccati originalis, uti ex *S. Aug.* contendit *Iansenius* de statu nat. & gr. l. 3. c. 11., ergo quod fit ex stultitia, furore, cæ-

citate corporis, est nobis voluntarium ac peccatum, ergo si homo stultus, furibundus, cæcus casu aliquem occidat, formaliter peccat. Non sufficere ad rationem nostri personalis peccati, quod peccatum Adami censeretur nobis fuisse voluntarium, certum est ex damnatione hujus 1. prop. facta ab *Alex. VIII.* In statu natura lapsa ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, quæ voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali & voluntate Adami peccantis. Nec obstat commune dictum, quod sequitur ex voluntario est voluntarium, nam distinguo, si sequatur ex voluntario per propriam voluntatem & non retractato, transeat, si ex voluntario per alienam voluntatem & quidem retractato, n, jam verò originale fuit voluntarium nobis per voluntatem alienam Adami, & insuper est retractatum per voluntatem ipsiusmet Adami, qui illud detestatus est, per voluntatem Christi, qui pro eo satisfecit; per Ecclesiam & nos ipsos in Baptismo; hinc *S. August. Epist. 23.* ait, tantam illius Sacramenti, id est, baptismi salutaris esse virtutem... ut... semel regeneratus per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nullâ suâ voluntate consentit, & ideo semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit nisi propriâ impietate. Dixi, transeat, nam si non est prævisum, non est voluntarium, uti dicitur à n. 755. Et idem est de illo, quod sequitur ex peccato personali & proprio, uti ibidem probabitur; quod si fuerit prævisum, & culpa personalis, quæ fuit causa, nunc sit retractata, illud, quod sequitur, etiam desinet esse imputabile, uti etiam dicitur n. 760.

744 *Obji. 6.* Exempla ex Scriptura & aliunde satis evincunt aliquos peccasse & peccare cum ignorantia vel

vel errore etiam invincibili: sic 1. *Jonathas* I. Reg. 14. ignorans prohibitionem comedit de melle, & ideo est adjudicatus morti, à qua tamen eum liberavit populus: 2. *David* oravit pro peccatis ignorantiae: & in antiqua lege pro illis offerebantur Sacrificia: 3. Licet *Christus* gentilibus esset stultitia, ideoque putaverint eum esse contemnendum, tamen peccarunt non sequendo eum; hinc omnibus Gentilibus, qui de *Christo* nunquam audierant, negata est à *S. Paulo* excusatio, inquit *Eliz.* l. 7. q. 12. §. 7., quia saltem indirectè noluerunt credere, tradentes se vitiiis. Plura addit q. 13. §. 8. in eundem sensum: 4. Judæi crucifigentes *Christum* nescierunt eum esse Deum, & tamen certum est peccasse peccato Deicidii, nam *Inu. II.* damnavit hanc *Abailardi* propositionem ut hæreticam, non peccarunt, qui *Christum* ignorantes crucifixerunt: 5. *Paulus* putabat se contra nomen *Christi* debere multa agere, & tamen peccavit sic ignorans & errans. 6. Occidentes vel persequentes discipulos *Christi* putabant se obsequium præstare Deo, & tamen per hoc peccabant, uti *Eliz.* l. 5. q. 6. fusè expendit. 7. De facto multi Ethnici colunt Idola, ita ut error tanquam lex pietatis & religionis custodiatur: similiter multi acatholici suos errores, uti nos veritatem, putantes sibi non esse licitum de iis dubitare, & tamen utrique peccant. 8. In fine mundi Anti-*Christus* doctrinam suam confirmabit signis & prodigiis, & tamen qui sequentur, peccabunt. *R. n. aff.*, unde ad omnia illa dico generatim, si peccarint aut peccent, esse propter ignorantiam vel errorem vincibilem; & si supponamus esse invincibilem, non fuisse nec esse peccatum: nunc paucis ad singula.

Ad 1. Si argumentum valet, ergo nec in jure positivo excusat ignorantia invincibilis, nam prohibitio

bitio illa erat à Rege *Saule* facta: itaque *Jonathan* non peccavit primò gustando mel, sed per hoc fortè, quòd postea audiens id prohibitum fuisse à Patre suo, improbaverit prohibitionem & induxerit populum ad comedendum, uti habetur v. 29. & seqq.

Ad 2. *David* oravit, Item offerebantur Sacrificia pro peccatis ignorantia, quia nesciebant, an non fortè fuisset vincibilis & culpabilis: deinde etiam fortè imperabantur Sacrificia pro peccatis ignorantia, licèt fuisset invincibilis, in expiationem quandam legalem, ut alii discerent servare legem, alii cautiores essent; Item quia in foro externo praesumuntur facta cum scientia. Dicitur etiam potest, quòd oreitur pro peccatis ignorantia, id est, pro peccatis, quæ quidem facta sunt cum scientia, nunc autem per oblivionem ignorantur.

Ad 3. Certum est eos, qui de Christo nunquam audierunt, per illam infidelitatem non peccasse, nam tres Pontifices damnarunt hanc 68. *Baji prop., Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est predicatus, peccatum est: si autem de Christo sufficienter audierant, ignorantia & error fuit vincibilis; & idem est dicendum, quod jam dicemus de Judæis & acatholicis. Vide dicenda n. 753.*

Ad 4. Judæi ex vita, signis & miraculis scire poterant & debebant Christum esse Deum, hinc *Pilatus*, quamvis Gentilis nec usus sacris litteris aut prophetiis, satis adverterat, quòd per invidiam tradidissent eum, *Matt. 27. v. 18.*, erant ergo suâ malitiâ excæcati. Videri potest *Esp. in app. a. 61.*

Ad 5. & 6., idem est dicendum de *Paulo* & persecutoribus, qui satis audierant de vita & miraculis Christi; unde in quo peccarunt, in hoc processerunt saltem cum neglectu melioris notitiæ de doctrina Christi, vel ex temeritate nimia aut odio.

Ad 7.

Ad 7. De Deo communiter docetur, quòd non possit ignorari invincibiliter, saltem non diu: quòd si supponamus invincibiliter ignorari verum & unicum Deum, contra hunc non peccabit formaliter Ethnicus adorando Idola; hinc etiam l. 5. à n. 49. dicam, si in aliquo homine daretur invincibilis ignorantia planè omnis Dei, talem hominem non peccaturum Theologicè, sed ad summum Philosophicè. Quoad acatholicos, dicam in l. 2. à n. 93. dari posse materiales, & nego peccaturos per suam illam materialem infidelitatem.

Ad 8. Qui sequentur Anti-Christum ex ignorantia invincibili, per hoc peccabunt, n, qui sequentur ex vincibili, c, & talis præsumitur futura, nam nunc inclaruit auctoritas Ecclesiæ, motiva credibilitatis pro fide Christiana & pro Divinitate Christi sunt evidentiæ: nec deerunt Prædicatores Evangelii, etiam Prophetæ, *Enoch*, & *Elias* &c. Videri potest *Esp. a. 62.*

Obj. 7. Dantur peccata ignorantia, non tantum imputabilia ratione antecedentis negligentia in inquirendo, sed etiam ratione sui, licet eorum malitia, quando fiunt, nullo modo cognoscatur, sed purè ignoretur, ergo talis ignorantia, licet invincibilis sit, non excusat, ita *Eliz. l. 5. q. 3. & seqq. R. Cum Ter. vil. in Reg. q. 65.* aliisque communissimè, n. antec., malitia enim, cujus nulla est cognitio, non contrahitur, nec est imputabilis, uti probabitur l. 5. à n. 15., ubi ostendemus illam esse mentem ac sententiam SS. PP. & *S. Th.*, & rationem insinuabimus hic n. 752. & 755.

Obj. 8. Ignorantia eorum, quæ sunt proprii officii, non excusat à culpa, quia quisque tenetur scire ea, quæ sunt proprii officii, hinc *S. Th.* ait, *Ignorantia illa, quæ quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est*

est absque peccato: hinc etiam in *Instit.* de Aquilia §. *præterea*, dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare: & Cap. *si culpa*, de injuriis, dicitur ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire; ideoque Jura clamant, paria esse, scire & debere scire, *L. quod se mihi*, ff. de rebus cred., Atqui ignorantia legis naturalis, est ignorantia alicujus, quod est officii omnium ratione utentium, quodque omnes debent scire, ergo. *R. 1.* Idem valere de ignorantia legis positivæ, nam & hanc tenemur scire, cum teneamur observare. *R. 2.* Si sint proprii officii particularis, v. g. Judicis, Confessarii, transeat; si sint officii generalis, quale est vivere honestè vel etiam Christianè, n. maj., cum enim hoc officium latissimè pateat & contineat obligationes plurimas ac diversissimas, possunt quædam secundariæ, saltem ad tempus, invincibiliter ignorari, ideoque licet, per se loquendo, simus obligati ad ea scienda, tamen per accidens hic & nunc non sumus proximè obligati, quia hic & nunc, moraliter loquendo, non sumus proximè potentes scire.

747 *Obji. 9.* Saltem conscientia formata secundum ejusmodi ignorantiam vel errorem invincibilem non faciet operationem esse positivè honestam. *R. n. aff.*, cujus oppositum ostendimus à n. 14., cujus alia *Ratio* velut à priori est, quia talis conscientia est Ethicè recta, ergo facit positivam honestatem refundi in operationem. *Ant. prob.*, illa conscientia est Ethicè recta, quæ est optima ratio operandi, quam hic & nunc, dum operandum est, habere possumus & debemus, ille enim est Ethicè rectus & operatur maximè conformiter ad appetitum rectum, secundum dicta à n. 5., qui se habet, quàm optimè potest & debet, sed conscientia invincibiliter erronea est optima ratio operandi, quam hic & nunc, dum operan-

operandum est, habere possumus & debemus, ergo est Ethicè recta, adeoque sufficit, non tantum ad evitandum peccatum, sed etiam ad positivam honestatem refundendam in operationem.

Plura huc spectantia solventur l. 5. à n. 15. & 25., ubi efficaciter probabimus ad peccandum prærequiri aliquam cognitionem malitiæ & legis Dei.

Q. 125. *Quandonam igitur ignorantia & error censetur invincibilis & inculpabilis, aut è contrà peccatum. R.* 748

§. I. Si nulla notitia specialis nequidem confusa, nec ulla ratio dubitandi in universum aut in particulari occurrerit de eo, quod ignoratur vel circa quod erratur, talis rei ignorantia & error dici debet invincibilis & inculpabilis, uti rectè *Suar.* de censur. d. 4. f. 8. *Vasq.* 1. 2. d. 124. *Sanch.* in Decal. l. 1. c. 17. n. 2. aliique communissimè contra *Eliz.* 1. 5. q. 6. §. 5. Ratio est, quia talis ignorantia vel error non est voluntarius, nam voluntarium, secundum dicta n. 736., procedit ex cognitione, quæ tum abest: deinde non adfuit hoc, per quod vinci & expelli possent, homo enim non potest se liberè applicare ad quærendam scientiam, nisi ante primam volitionem præcedat cogitatio, utique non voluntaria, cum præcedat primam volitionem, ergo naturalis & ab extrinseco causata, per quam voluntas excitata se moveat, & intellectum applicet, ergo si nulla cogitatio in mentem venerit, quæ posset excitari voluntas, non est in potestate hominis se applicare ad quærendam scientiam, ergo si tum ignoret vel erret, ignorantia & error non sunt ipsi voluntaria, ergo sunt ipsi invincibilia & inculpabilia.

§. II. Si alicui inciderit cogitatio, non qualis- 749
cumque, uti n. 755. dicitur, sed prudens, ne fortè
objectum sit malum & operatio inhonesta, ipse au-
tem

tem sufficientem adhibuerit diligentiam, neque tamen potuerit rescire veritatem, ignorantia vel error est ipsi invincibilis, ideoque operationes vel mala ex eis secuta non sunt imputabilia ad culpam, uti rectè *Suar. suprà & Teril. in Reg. q. 62. assert. 3.*, tota enim imputabilitas ignorantiae vel erroris, itemque malorum ex ipsis sequentium, fundatur in negligentia inquirendi veritatem & tollendi ignorantiam vel errorem, uti dicitur n. 757., hìc autem adhibita est diligentia debita, quâ positâ cum adhuc ignoretur veritas, nulla lex agnoscitur, quæ vel prohibeat operationem, quam prudenter judicat licitam, vel obliget ad præcavenda mala, quæ prudenter timere non potest esse secutura: quandonam autem censeatur debeat adhibita sufficiens diligentia, dicitur à n. 755.

750 §. III. In rebus inter Classicos Auctores controversis & incertis, debet ignorantia vel error censeari invincibilis, si nitatur gravi motivo, quia cum Auctores graves dicant veritatem esse in hac, alii in altera parte, nec resciri possit, quinam verum, quinam falsum dicant, qui hìc ignorat veritatem, vel format iudicium pro hac aut illa parte, habet ignorantiam vel errorem, quem hìc & nunc vincere non potest, ergo invincibilem, ita *Teril. q. 67. n. 28.*

751 §. IV. Ignorantia & error sunt peccata, quando sunt objectum legis illa prohibentis, & nihilominus liberè habentur, tum enim ignorantia habet se sicuti omissio actûs fidei, quando præcipitur, error autem sicuti positiva infidelitas: an autem dici debeant esse peccata, an tantum effectus peccati, dubium est, aliqui volunt dici peccata, non aliter ac omissionem Sacri die festo; alii cum *Vasq.* dicunt esse tantum effectus peccati, putantque peccatum compleri in sola negligentia removendi ignorantiam vel errorem: hoc videtur certum, quòd totum pravum exerciti-
um

am libertatis compleatur in voluntate non sciendi seu in negligentia debiti conatus ad sciendum, à qua negligentia error vel negligentia accidentaliter de- ignorantia
nominentur esse peccaminosa, potuisset enim esse eadem ignorantia vel error, & non esse peccaminosa, si nempe fuissent invincibilia & nullo modo voluntaria.

§. V. Si nulla prudens cogitatio inciderit de ignorantia vel errore per peccatum incurrando, licet postea ex peccato, sive, propter peccatum sequantur, non sunt voluntaria, nequidem indirectè, neque peccatum, sed vel merus effectus, vel tantum pœna peccati, uti rectè *Terz.* q. 65. ass. 3., quia ratio voluntarii petit, ut sit aliquo modo præcognitum, sicuti si quis liberè se inebriet vino, quod nescit esse venenatum, quamvis peccatum sit illi voluntarium, mors tamen inde secuta non est voluntaria, quia nempe nullo modo fuit præcognita, neque lex prohibens inebriationem repræsentabat hanc tanquam illativam mortis, ergo similiter, si non incidit prudens metus vel cogitatio, quod ignorantia vel error esset secuturus ex peccato. Probatque rectè *Suar.* n. 13., etiam ex Sacris Canonibus, nihil ad rem facere, sive ignorantia & error causentur per opus licitum sive per illicitum, cum hoc non refundat voluntarietatem in aliquid non prævisum: sed nec refert, sive per se sive per accidens sequantur ex peccato, nam si nulla cogitatio de hoc inciderit, non fuit possibile, ut cogitaret de illis præcavendis, ergo moraliter præcaveri non potuerunt, ergo sequuntur involuntariè. Vide dicenda l. 5. à n. 30., & ibidem n. 222., ubi n. 224. etiam explicatur, quænam dicantur peccata inadvertentiæ.

Objicies. Apostolus *ad Rom.* I. dicit Gentes, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,

verunt, incidisse in ignorantias, quas utique non præviderant, nec tamen fuerunt excusabiles à peccatis per tales ignorantias causatis: quem locum explicans *S. Th.* lect. 7. dicit, si ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam excusare. Patetque idem in obcæcatis, licet enim prævisa non fuerit cæcitas, tamen ex cæcitate peccantes non excusantur. *R.* Gentiles aliosque, quibus ignorantia vel cæcitas non fuit voluntaria, non peccasse per ignorantias vel cæcitates, sed postea constituti in ignorantia aut cæcitate peccabant per malitiam suam, agnoscebant enim satis turpitudinem eorum, que patrabant, uti notat *Corn. à Lapide* in eum locum. *S. Th.* loquitur de causalitate, non purè physica, sed morali, culpa autem non est moralis causa ignorantia & ex hac consequentium, nisi ignorantia fuerit voluntaria; & idem est de cæcitate: quæ autem postea fiunt ex nova advertentia, sunt peccata malitia, cum quibus stat aliqua cæcitas, nam nemo est cæcior illo, qui mala imminetia cognoscit, nec tamen vitat; qui foveam metuit & tamen in eam irruit; hoc ipso enim physice videns, moraliter non videt, quia agit, ac si non videret, quod est pessimum genus cæcitatis. Videri potest *Teril.* à n. 42.

754 *Inst.* Omnis peccans potest timere, ne propter peccatum permittatur incidere in ignorantias, errores, cæcitates, ergo debet hoc timere, ergo ipsa sunt sufficienter prævisa & voluntaria. *R. 1.* Omnis peccans semper proximè potest hoc timere, n. potest quandoque, & potentiâ saltem remotâ, si nempe de hoc incideret cogitatio, transeat; quod autem hæc non incidat, non est ei voluntarium, uti supponitur. *R. 2.* Dato antec. n. conseq., quia cum talis ignorantia, error aut cæcitas sint pœnæ extraordinariæ & à solo Deo dependentes, nemo censetur exponere

se periculo proximo earum, si peccet, nec semper potest prudenter prætimere.

Q. 126. *Quandonam illa, quæ sequuntur ex ignorantia vel errore vincibili & culpabili, censentur voluntaria & imputabilia ad culpam.* R.

§. I. Ut censentur etiam indirectè voluntaria, debent aliquo modo fuisse præcognita, ut colligitur ex dictis n. 752., & pluribus dicitur l. 5. à n. 30. Nec negare audeat *Eliz.* q. 10. §. 3. & q. 11. §. 5., quia nihil volitum nisi præcognitum: debet insuper saltem confusè agnita esse obligatio illa præcavendi, alioquin non esset agnita in eis malitia, & consequenter non essent imputabilia ad culpam, ut dicitur eodem l. 5. à n. 16. Quævis autem repræsentatio mali secuturi non inducit obligationem tollendi ignorantiam vel errorem, ut mala ista præcaveantur, nam quandoque præcaventur sine fundamento & ex scrupulositate, si nempe rarissimè eveniant: hinc ut agnoscat obligatio quærendi scientiam, debet quis probabiliter prævidere, five prudenter prætimere malum, & ideo agnoscere se obligatum ad tollendam ejus causam, quæ hinc esset ignorantia vel error.

§. II. Ut illa, quæ sequuntur ex ignorantia vel errore, sint voluntaria & imputabilia, non est opus præcognosci in individuo vel specie, & id evincunt argumenta, quæ affert *Eliz.* q. 11. §. 4., si enim formaliter & expressè in seipsis fuissent prævisa, essent directè volita, ad peccatum autem sufficit esse indirectè voluntarium: itaque sufficiet, quòd præcognoscantur quasi in genere, ita ut censentur virtualiter & implicitè præcognita, v. g. ut Judex peccet, quando postea injustam feret sententiam circa testamentum, non est necesse, ut determinatè agnoscat se nescire materiam de testamentis, sed satis est, si agnoscat, se non satis scire illa, quæ ad officium

Ee

suum

suum pertinent, & ideo advertat posse gravia mala causari Reip., vel damna proximo: atque idem est de Confessario, Parocho &c., si accedant ad hæc officia, conscii sibi de insufficiente scientia, hoc enim habito, illa, quæ inde sequentur & causabuntur, erunt indirectè voluntaria, utpote sufficienter volita in causa, & ideo, quando sequentur etiam sine nova advertentia ad malitiam præsentem vel negligentiam præteritam, denominabuntur peccata ignorantia. Quod si tum, quando sequentur, agnosceretur malitia præsens, & tamen eam saltem indirectè vellet operans, dici deberet peccatum potius actualis malitiæ, quàm ignorantia.

757 §. III. Quando ejusmodi mala ita sequuntur & causantur ab ignorantia vel errore, sine actuali advertentia & libertate, non habent ullam propriam malitiam vel imputabilitatem, sed ad summum denominantur mala seu peccata tantum per negligentiam præteritam in inquirenda veritate, uti docent *S. Tb. S. Bonav. S. Anton. Suar. Vasq. Sanch.* in Decal. l. 1. c. 16. n. 45. aliique communissimè cum *Teril.* in Reg. q. 66. aff. 5. Ratio est, quia omnis ratio mali imputabilis essentialiter fundatur in libero voluntatis exercitio, hinc ubi nulla est libertas, nulla est imputabilitas, ergo ubi non est novum exercitium libertatis, non potest esse nova imputabilitas, sed tota, quæ inest, provenit à primo exercitio libertatis, & consequenter non est alia, sed tantum prior imputabilitas, sicuti in actu interno & externo est una moralitas derivata à solo actu interno, quia hic solus est formaliter liber. Vide dicenda l. 5. n. 21.

758 §. IV. Si quis heri per culpam ignoravit vel concepit errorem, quod hodie, quando est festum, non esset obligatio audiendi Missam, (idem est in aliis similibus materiis) si hodie omittat Missam nihil

hil ampliùs cogitans de illa obligatione, *Rodrigo Med.* & alii absolute dicunt peccare per illam omissionem, quia ignorantia vel error ille non fuit revocatus, ergo moraliter manet & causat transgressionem: *Azor, Vasq. Salas, Sanch. Prap.* & alii cum *Burgh.* cent. 3. cas. 42. absolute dicunt non peccare, quia illa mala voluntas hesternana non est ampliùs nec in se nec in aliquo suo effectu, ergo ommissio non censetur ab illa causari: *Castrop.* tr. 2. d. 1. p. 3. meliùs sic distinguit, si ommissio hodie sequatur ex culpa hesternana, denominabitur libera & culpabilis; præsumi autem debet sequi ex culpa hesternana, si aliud non rescitur, quia erat causa de se efficax illius: si autem non sequatur ex culpa hesternana, sed aliunde, & eodem modo futura fuisset, quamvis absuisset culpa hesternana, non denominabitur culpabilis, quia culpa hesternana se per accidens habuit ad illam, neque ommissio quicquam ab illa participabit. Vide dicenda l. 5. à. n. 41.

§. V. Si mala non necessariò sequebantur nec 759
erant per se connexa cum ignorantia vel errore, & aliquis sufficientem adhibuerit diligentiam vel cautelam, ne sequerentur, si per accidens sequantur, non erunt voluntaria nec imputabilia, uti per se patet, & pluribus dicitur l. 5. n. 45.

§. VI. Si negligentia in excludenda ignorantia 760
vel errore sit per veram pœnitentiam retractata, aut jam adhibeatur sufficiens diligentia in acquirenda scientia, quæ tamen obtineri non possit, ignorantia & error non ampliùs erunt moraliter voluntaria, nec peccatum, nec causa peccati, neque mala ex eis sine nova libertate secuta erunt moraliter imputabilia, sed tantùm dicentur effectus peccati, uti communiter tenent omnes cum *Teril.* q. 62. ass. 1., & consentit *Eliz.* l. 5. q. 13. §. 5. Ratio est, quia non erant
Et 2 impu-

imputabilia nisi in causa, quæ erat negligentia, ut in 757. dictum est, ergo si hæc sit effectivè efficaciter retractata vel emendata, negligentia illa desinit moraliter esse, ergo quod ex ea sequitur, non censetur moraliter esse ab illa tanquam causa, licet fortè adhuc physicè sit ab illa, quod enim non est moraliter, non potest esse moralis causa alterius: sic si Sacerdos malitiosè abjecerit Breviarium, ne teneretur orare horas, si de hoc postea sincerè doleat, potest absolvi, nec omissio horarum censetur postmodum voluntaria, neque etiam peccat omittendo. Similiter notat *Terill.* q. 63. n. 3., si incogitantia legis, quæ antè fuerat vincibilis & per culpam causata, postea fiat invincibilis, quia postea conaretur & non posset rescire legem, nec esset, qui instrueret, actionem postea secuturam ex illa incogitantia non fore peccatum, & plures similes casus affert de consc. prob. q. 16. aff. 1., in quibus ignorantia priùs vincibilis, fit postea invincibilis, & ideo facit illa, quæ postea sequuntur, non esse amplius imputabilia ad culpam. Videri potest *Terillus* q. 61. & 62., ubi plura tradit de his peccatis ignorantia.

761 Q. 127. *An taxari possit quantitas diligentia necessaria ad hoc, ut ignorantia vel error sit invincibilis & inculpabilis. R.*

§. I. Negat *Eliz* l. 4. q. 15., ac docet q. 11. §. 6. Deum voluisse id à nobis ignorari, ut nesciremus, si mūsne justī an injustī, quia nunquam sciemus, an non defuerimus in diligentia necessaria, sicuti nescimus, qualis superbia aut quanta luxuria prærequiratur, ut Deus ob illam patiatur hominem labi in hæresin &c. Addit tamen l. 7. q. 11 §. 8. in fine, diligentiam in inquirendo hīc necessariam debere esse magnam, qualem æterna salus, utique maximi facienda, requirit, unde ad minimum tantam esse debere,

re, quantam mundani adhibent pro honoribus, divitiis aut voluptatibus suis.

§. II. Quantitas illius diligentiae taxari potest : 762
 si enim taxari non posset, nunquam liceret operari ex opinione, nequidem probabiliore, stante pro libertate contra aliam probabilem stantem pro lege, ut enim hoc liceat, prius adhibenda est diligentia sufficiens pro inveniendâ veritate, & ad resciscendum, an lex prohibens existat vel non, ergo si non posset resciri, quænam diligentia sit sufficiens, nunquam liceret ex tali opinione operari.

§. III. *Suar.* de cens. d. 4. s. 8. rectè dicit taxatio- 763
 nem hujus quantitatis esse prudentum judicio relinquendam, pensatis omnibus, quæ ad præceptum, personam & operationem pertinent; nam notat rectè *Teril.* in Reg. q. 67. n. 30., si agatur de præcepto naturali, esse opus majore diligentia, quàm si de positivo, & quò gravius esse videretur præceptum, eò major requiritur consideratio; similiter homo doctus tenetur majorem per seipsum adhibere diligentiam, quàm indoctus: item, si operatio possit graviter nocere, etiam opus est majore diligentia, quàm si nocere non possit &c.; hinc universaliter illa quantitas diligentiae sufficit, quæ qualitati præcepti, capacitati personæ & naturæ operationis proportionatur, illa autem proportionatur, quæ serâ est & saltem mediocris, hinc illa absolutè est sufficiens, quam prudentes consideratis circumstantiis judicant esse mediocrem & humano modo requisitam. *Nec obstat*, quòd prudentes quandoque etiam errent in assignanda illa mediocritate, nam error ille est probabilis & innoxius, cum in hoc negotio, spectatâ infirmitate humani intellectus, non possit inveniri regula certior, & consideratâ etiam imbecillitate humanâ nulla videatur accommodatior.

764 §. IV. Homo indoctus, secundum *Suar.* supra, adhibet diligentiam sufficientem, si consulat doctos viros in tali arte peritos & carentes morali suspicione, quod ex malitia vel negligentia sua decipiant; homo autem doctus, qui per se sufficiens est ad talem cognitionem obtinendam, si Doctores aliquos inspexerit, aut leges ipsas mediocri diligentia contideraverit, perpenderitque motiva in utramque partem, ac tum ignoret adhuc vel erret, id fiet invincibiliter & inculpabiliter: quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientiae, inquit *Suar.*, licet forum externum utatur aliis præsumptionibus, uti dicitur à n. 772.

765 §. V. In rebus operabilibus & incertis sufficit ea diligentia, per quam homo pervenit ad certam probabilem resolutionem casus, sive ad iudicium prudens pro hac vel illa parte, sive id fiat per proprium studium, sive per responsum ab aliis peritis peritum, attamen secundum dicta n. 369., hoc enim habito prudenter iudicat se habere veritatem, ergo quamvis forte adhuc ignoret aut erret, non est ideo vituperabilis, ergo ignorantia & error non est culpabilis.

766 §. VI. *Objicies* Homines valde magnam diligentiam adhibent pro obtinenda scientia profana, pro divitiis, honore aliisque bonis corporis, ergo adhibenda est saltem similis pro cognoscenda Dei lege, pro bonis animæ & salute æterna, ergo ut ignorantia & error sit inculpabilis, non sufficit mediocris diligentia *Conf.* nam si filius sciret esse periculum graviter offendendi Patrem, & non adhiberet tantam diligentiam pro cavenda offensa, merito iudicaretur non habere debitam reverentiam & amorem; & si post adhibitam tantum mediocrem diligentiam, defectu diligentiae majoris offenderet, Pater merito indignaretur, ergo idem magis valet de homine

mine respectu Dei, ita *Eliz. R.* Hæc esse de consilio, negamus autem esse de præcepto, si enim essent de præcepto, nunquam posset adhiberi diligentia sufficiens, quia lex æterna Dei & salus nostra æterna digna sunt omni possibili diligentia: quod si cum proportione talis diligentia teneremur curare salutem animæ, cum qua curamus salutem corporis, teneremur quotidie jejunare, orare incessanter, & quævis opera optima exercere; item teneremur vitare omnia etiam remota pericula peccandi, quia salus animæ infinitè æstimabilior est quàm salus corporis, ideoque exigeret diligentiam sine proportione majorem; hinc dicendum est, quod in his aliisque similibus Deus non postulaverit à nobis nisi humanam diligentiam humano modo præstabilem, & quod lex, quæ omnia optima præscriberet, esset pessima, uti notavimus n. 475. ex *Card. Palav.*, quia esset supra fragilitatem humanam, exponeretque certissimis periculis frequentissimè peccandi: itaque sicuti certum est extraordinariam istam diligentiam pro obtinenda salute non requiri ex præcepto, quamvis ad salutem maximè conducatur, & ob illius defectum quandoque peccetur & amittatur salus, ita magis certum esse debet non requiri pro invenienda veritate extraordinariam diligentiam, quamvis hæc ad illam inveniendam, & consequenter ad servandam Dei legem conducere, atque ob illius defectum quandoque per accidens fiat materialis transgressio legis, ergo sufficere diligentia mediocris. *In forma, n. conseq.*, nam homines sæpenimis magnam diligentiam adhibent pro illis profanis & temporalibus, & si adhiberent tantum mediocrem, non essent vituperabiles, ergo nec adhibens mediocrem pro rebus animæ, ordinariè loquendo, ubi non est periculum ideo formaliter peccandi aut amittendi salutem.

Addit *Teril.* à n. 64. diligentiam mediocrem pro salute animæ & pro servandis præceptis, quæ agnoscimus, cenferi debere majorem illâ, quam homines adhibent pro rebus profanis, quia hæc redditur suavis per commoda temporalia vel per ipsam naturalem propensionem; è contrâ posterior conjuncta est cum continuo bello spirituali, mortificatione concupiscentiarum, pugna renitentis naturæ &c. Ad *conf.* n. Patrem meritò indignaturum, si filius adhibuerit diligentiam, ne offenderet, mediocrem, qualem descripsimus n. 763

Inst. Pater sollicitus de salute filii graviter infirmi non acquiescit, nisi habito certo nuntio de illius vita, ergo nec nos deberemus acquiescere, nisi habitâ certâ notitiâ veritatis. *R.* n. conseq., disparitas est. 1. quia pater potest habere certam de hoc relationem, nos, ubi res controversæ sunt, sperare non possumus notitiâ certam veritatis, uti n. 713. dictum est. 2. Quamdiu pater non habet certam notitiâ, habere non potest finem suum, qui est liberatio à cura per certitudinem vitæ filii; nos absque certa notitiâ veritatis possumus habere finem nostrum, qui est, non peccare & honestè operari, ac per consequens salvari, uti fati constat ex dictis à n. 14. & 734.

767 *Q.* 128. *An incurrat pœnam, ignorans esse asfixam transgressioni. R.*

Vide. lib. 7. fol. 736. n. 95.
 §. I. Si ignorantia sit inculpabilis, pœna Ecclesiastica, v. g. censuræ non incurritur, hinc occidens Clericum & nesciens illi homicidio annexam esse excommunicationem, non est excommunicatus, ita *Suar. Sanch. Bonac. Cœnin. Castrop. T. 2. d. 1. p. 17. & alii, contra Covarr. Ledes. & alios. Ratio est, I.*, quia tales pœnæ ab Ecclesia imponuntur tanquam admonitiones & medicinæ ad præcavendas culpas, sed non habent rationem admonitionis vel medicinæ ad præca-

præcavendam culpam, nisi prænoscantur ante culpam, atque ita timore sui deterreant à culpa, ergo etiam non incurruntur, nisi præcognoscantur. 2. Tales pœnæ non imponuntur nisi contumacibus & repugnantibus potestati, quam habet Ecclesia ad coercendum & puniendum improbos, sed qui ignorant pœnam esse impositam, quâ coerceri debeant, non sunt contumaces aut repugnantes illi potestati, ergo.

§. II. *Navar. Sa & alii cum Tamb. l. 1. in dec. c. 768*
 2. §. 10. n. 12. putant etiam pœnas civiles, si extraordinariæ sint, non incurri ab illo, qui invincibiliter ignorat illas esse transgressioni annexas, quod probabile etiam reputant *Suar. Sanch. & Castrop.*, quia si pœna sit extraordinaria, etiam in foro externo præsumi potest non præcognita à delinquente, ergo nullo modo potuit illi se subicere, injustum autem esset obligare ad pœnam, cui nullo modo se subiecit: deinde talis minus peccat, quàm si sciret pœnam esse annexam, neque contumax est, ergo dicendum est, quòd legislator velit mitius agi cum illo, quàm cum alio sciente pœnam esse annexam, & in illam consentiente.

§. III. Si pœna imponatur his verbis, qui præ- 769
sumpserit, qui scienter, qui consultò, qui temerè, qui audens, &c. putant, *Dian. & Burgh. cent. 1. cas. 78.* non incurri ab ignorante illam pœnam esse annexam, quamvis ignorantia fuisset mortaliter culpabilis & affectata: *Sanch. & Castrop.* dicunt probabilius tantum incurri, quando ignorantia affectata est talis, ut æquiparetur scientiæ: Ratio est, quia verba ista videntur requirere directam cognitionem & expressam voluntatem se opponendi contra vim punitivam legis, quæ non est sine expressa cognitione pœnæ appositæ.

770 §. IV. Si pœna absolute imponatur delinquenti, sitque pœna Ecclesiastica, adhuc non incurritur ab ignorante pœnam esse annexam, si ignorantia illa non fuerit crassa & supina, quamvis fuerit mortaliter culpabilis, ita *Sanch. & Castrop.* contra quosdam alios; ratio est, quia hæ pœnæ requirunt, vel dolum, qui non datur sine ignorantia affectata, vel saltem contemptum, qui non est, quando aliqua diligentia adhibetur, licet omittatur major debita.

771 §. V. Aliæ pœnæ tam Ecclesiasticæ quàm Civiles, quæ non requirunt ignorantiam affectatam vel crassam, neque dolum aut contemptum, probabiliter incurritur, quamvis ignorentur, si ignorantia sit mortaliter culpabilis, quia qui vult culpam, vult hoc, quod scit aut scire potest & debet ordinariè sequi ad culpam, ideoque committens mortale incurrit pœnam inferni, quamvis invincibiliter ignoret aut non cogitet esse annexam, quia pœna illa ordinaria est, nec improporcionata culpæ. De his

p. 2. n. 1607
fol. 703.
fol. 719.
fol. 734.
fol. 951.
772

tim l. 6. T. 4. c. 2. ad d. 4. dicitur, an reservatio incurritur ab eo, qui nescit esse annexam peccato. l. autem 7. c. 17. ad d. 3. dicitur, à quo incurrantur censuræ: & d. 4., qualis actus requiratur ad incurrendum, & quænam excusent &c., ibidem c. 5. ad d. 1. dicitur, an ab ignorante incurritur irregularitas. n. 211.

Q. 129. An ignorantia legis vel pœna annexa allegari possit pro excusatione in foro externo R. Negat *Mascard.* & pauci alii, quia si lex sit promulgata, præsumitur nota: sed communissimè affirmant reliqui, nam si sit invincibilis, excusat à culpa, ergo etiam à pœna: præsumptio quidem est contra excusantem, sed inde plus non sequitur, quàm teneri probare excusationem suam, pro qua, ut conjecturæ admittantur, accedere debet juramentum de ignorantia,

tia, quod solum non sufficeret sine conjecturis vel aliis probationibus, uti communiter docent AA. apud *Castrop* supra p. 19., hinc notat *Suar.* de cens. d. 4. l. 8. in foro externo raro admitti ignorantias invincibiles juris, nisi validissimis rationibus probentur, & inde forte est, quod Ecclesia conversos ad fidem absolvat ab excommunicatione, quia forsitan præsumit ignorantiam pœnæ annexæ fuisse vincibilem; de hoc tamen dicetur postea l. 6., quando agetur de Confessario hominis convertendi ad fidem.

Q. 130. *An dicta de ignorantia, etiam valeant de oblivione naturali.* R. Affirmative, nam oblivio naturalis æquivalet ignorantia invincibili, uti rectè cum aliis *Sancti & Dian.* p. 3. T. 6. R. 41., inferens eum, qui ex oblivione omisit horas Canonicas, non teneri restituere fructus, quia lex pœnalis irritans acquisitionem fructuum, non obligat eos, qui sine culpa obliti sunt legis obligantis ad orandum.

DUBIUM II.

774

An metus excuset ab observatione legis.

R. Esp. Si ex metu facis, quod simpliciter malum est, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas. Interim sæpe fit, ut præcepta quædam non obligent, cum eorum observatio cederet in grave alicujus incommodum. & tunc, si ex metu talis incommodi quis tale præceptum omittat, non peccat, cum præceptum non liget. Est communis. *Vnde resolvuntur:*

I. Præceptum naturale negativum, prohibens rem intrinsecè malam, non licet violare, ne quidem ob metum mortis.

II. Metus gravis, v. g. mortis, &c. sæpe non tantum